



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Apologia Pro Conscientiis infirmis, Sev Responsio Benigna Pro securitate dictaminis practici super certa probabilitate fundati

**Fibus, Bartholomaeus
Schweitzer, Johannes**

Coloniae, 1682

§. Secundus. Vtrùm doctrina probabilistica patiatur in propositionibus
damnatis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39304



§. SECUNDUS.

*Utrum doctrina probabilistica patia-
tur in propositionibus damnatis?*

1. **R**espondeo & dico, eam in limitatio-
nibus strictis & cautelis requisitis
intellectam, minimè pati. Ac pri-
mùm quidem credo apertè satis ex
allatis constare, quantùm absumus à doctrina
propositionis 27. ab Alexandro VII. damnatæ,
quæ sic habet: *Si liber sit alicujus junioris & mo-
derna, debet opinio censerì probabilis, dum non con-
stet, rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam impro-
babilem.* Quis enim dubitet, quin ex temerario
judicio sæpe lapsus fuerit, & labi deinceps possit
junior & modernus, quando apparet, etiam Pa-
ternitatem Vestram adeò turpiter lapsam fuisse in
censuranda & condemnanda doctrina probabili-
stica?

2. Improbamus quoque, & non solummodo
velut scandalosam, sed velut apertè falsam rejici-
mus eam, quæ est ordine prima inter damnatas
ab Innocentio X Ita habens: *Non est illicitum, in
Sacramentis conferendis sequi opinionem probabi-
lem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id ve-
ret lex, conventio, aut periculum gravis damni in-
currendi.* Hinc sententiã tantùm probabilis uten-
dum

dum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut Episcopalis. Quippè hoc intolerabilis temeritatis foret, & gravis irreverentiæ erga institutorem Sacramentorum, nullitatis periculo exponere Sacramenta, ubi certitudo eorum procurari facile posset. Sed de hoc pluribus infra §. 5.

3. Ad tertiam quoque, quæ sic habet: *Generatim dum probabilitate siue intrinsecâ, siue extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus:* Facilis patet Responsio, quia hoc non licet in dubio facti, ut paulò inferiùs ostendetur; adeòque non generatim licet. Præterquàm quòd *tenui* etiam in dubio juris, ambiguè intelligatur. Posset enim istâ voce intelligi (quòd dictum volo sine interpretatione) opinio solùm probabiliter probabilis seu *crepera*, cui in dubio etiam juris non patrociamur.

4. Ad quartam similiter, quæ sic habet: *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili:* Respondimus supra, ubi diximus opinionem probabilem, strictam & absolutam non dari pro quacunque infidelitate & hæresi. De sola autem probabilitate absoluta & certa procedit controversia nostra.

